

PARS SECUNDA.

METAPHYSICA.

Sub nomine *metaphysicæ* multi nunc quamdan sibi fingunt scientiam subtilem, abstractam, intricatam ac inutilem, opinionibus contradictoriis et speculativis systematibus sese destruentibus scaturientem. Fatendum est vulgare hoc præjudicium omni fundamento destitutum non esse : plurimi namque auctores non paucas hujus generis quæstiones tractant, et in obscuras interminabilesque disputationes abeunt. Nos vero ab hujus modi controversiis abstinendum ducentes, solummodo veritates gravis momenti, quæ in hac parte philosophiæ tractari solent, dilucide et, quantum poterimus, solide conabimur astruere.

Vox *metaphysica* ex duobus vocabulis græcis, *μετά*, *supra*, et *φύσις*, *natura*, formatur. Per naturam vulgo intelligitur mundus sensibilis, seu materialis.

Metaphysica igitur est scientia de entibus supra naturam corpoream positis tractans. Duplici modo ens a natura corporea distingui potest, scilicet, per mentis abstractionem, ut finitum in genere, quod extra mentem illud concipientem non existit, et per naturam suam; tales sunt substantiæ incorporeæ, nempe, Deus, angeli et mentes humanæ. Unde metaphysica in duas partes communiter dividitur, videlicet, in metaphysicam *generalem*, quæ de ente abstracto dissêrit, et in metaphysicam *specialem*, quæ de entibus a materia ex natura sua segregatis tractat : prior vocatur *ontologia*, et posterior *pneumatologia*.

DISSERTATIO PRIMA.

DE ONTOLOGIA.

Ontologia, a verbis græcis *λόγος* et *ὄν*, idem significat ac *sermo de ente*, et definiri potest : *Scientia rerum et earum relationum in genere*. Dicimus *in genere*, quatenus ad classes quasdam seu species reducuntur propter qualitates ipsis communes. In ea dissertatione, semper ab existentia abstrahemus, quæ quidem, ut videbitur, mere possibilis esse potest, si agitur de entibus contingentibus; necessaria vero est, si de ente *simpliciter*, seu infinito, cujus ipsa idea existentiam importat. De entibus sic abstracte consideratis idea positiva haberi potest, et ideo, huic dissertationi titulum dedimus de *ontologia*, sive ente in genere. Pauca in ea dicemus eaque trademus tanquam prolegomena ad pneumatologiam, quæ est proprie metaphysica; agemus ergo breviter in quinque capitibus : 1° de notionem, essentia et possibilitate entis in genere; 2° de ejus causis et effectibus; 3° de ejus speciebus; 4° de ejus proprietatibus, et 5° de spatio et duratione.

CAPUT PRIMUM.

DE NOTIONE, ESSENTIA ET POSSIBILITATE ENTIS IN GENERE.

Ens dicitur quidquid existit vel existere potest. Notio entis est prima omnium notionum, non eo sensu quod ab initio sit expressa in mente, vel in primo rationis exercitio explicite agnoscat; sed, cum nihil possimus cogitare quin sit ens quoddam, sequitur notionem entis prioritatem rationis omnem cogitationem præcedere aut saltem in ea includi et cum ea se exhibere.

Ens quibusdam attributis in esse suo determinatur;